

derogare) in singulis Ecclesiis Cathedralibus. ac Monasteriis & locis aliis Conventualibus ipsius Ordinis seu Religionis sub scriptura authentica perpetuo habeantur, & fideliter conserventur, & quod in singulis Provincialibus Capitulis quarumlibet Provincialium superius distinctarum, & nihilominus bis quolibet anno in antea in singulis Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis Conventualibus supradictis integre & attente legantur & etiam auctententur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum, constitutionum, deputationis, inhibitionum, declarationum, provisionis, prohibitionis, concessionis innovationis, approbationis, monitionis, extensionis, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Avenioni XII. Kalend. Julii Pont. nostri anno secundo.

Dat. die 20. Junii 1336. An. II.

VII.

Contra Fraticellos, eorumque sequaces & Fautores per Sedem Apostolicam damnatos.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratibus Bertrando Archiepiscopo Ebreduensis, & Joanni Episcopo Anagnin. nostro in Spiritualibus Urbis Vicario salutem, & apostolicam benedictionem.

Udum ad audientiam nostri Apostolatus perducto, quod quidam perniciosi homines, & perversi se Fraticellos seu Fratres de paupere vita dicentes, quorum secta pestifera olim per Sedem Apostolicam damnata extitit, & perpetue prohibitioni subiecta, in Urbe, ac Terris Ecclesie Romanae immediatae subiectis, circumvicinisque partibus commorantes, errores & haereses varios periculose nimirum seminabant: tam Ordinariis, quam dilectis filiis Inquisitoribus haeretica pravitatis in praefatis Urbe, Terris, ac partibus Auctoritate Apostolica deputatis dedisse per nostras certi tenoris diversas litteras meminimus in mandatis, ut commissum eis inquisitionis officium solerter & fideliter super his & aliis negotium inquisitionis tangentibus exequentes de praedictis nequam hominibus, eorumque Receptoribus, complicibus, fautoribus, & valitoribus, ac eorum & cuiuslibet ipsorum in hac parte criminibus, delictis, & erroribus veritatem inquirere solerti adhibita diligentia procurarent, ad captionem, correctionem, & punitionem eorum secundum sanctiones canonicas & privilegia concessa eidem Inquisitionis officio nihilominus processuri.

S. 1. Sane cum, sicut ad Nos noviter est perlatum, praedictorum malorum, & superstitiosorum hominum praesumptio periculosa

Clausula.

Ex Regest. in Archiv. Paris.

Dat. die 20. Junii 1336. An. II.

& temeraria non est in illis partibus dimi- nuta, sed aucta: cum nedum ipsi, quinimmo quamplures alii eorum sub aliis tamen diversis fictis habitibus sequentes & imitantes damnata vestigia in eisdem Urbe, Terris, & partibus, nec non & in Regno ac Terris Siciliae disseminantes varios errores, & haereses non sine multorum fautorum consiliis & auxiliis commorantur; Nos igitur tantis periculis obviari salubriter cupientes fraternitati vestrae per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos & quilibet vestrum in solidum per vos vel alium seu alios adversus praedictos homines eorumque sequaces, complices, ac receptores, fautores, & adiutores Clericos & Laicos cuiuscumque status, dignitatis, praerogativae, vel conditionis existant, etiam si Potestati vel quavis alia dignitate praerminent, simpliciter & de plano sine strepitu & figura Iudicii secundum canonicas sanctiones & privilegia concessa eidem Inquisitionis officio ad inquisitionem, correctionem, & punitionem talium, prout cuiuslibet excessus & delicti qualitas exegerit per vos aut cum Ordinariis & Inquisitoribus praedictis, quos sollicitetis super his conjunctim vel separatim, prout quando & quotiens expedierit, procedatis: ita quod pestifera labes extirpetur hujusmodi & Catholicae fidei claritas remaneat illibata: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescendo non obstantibus tam exemptionis quam alii quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis, sub quacumque forma, vel expressione verborum quibuscumque personis aut locis concessis per qua vestra Jurisdictionis executio possit super his quomodolibet impediri, etiam si de illis esset in praesentibus plena & expressa de verbo ad verbum mentio facienda: seu si aliquibus communiter vel divisim sit ab eadem Sede concessum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Avenioni Nono Kalendas Julii Pontificatus nostri anno II.

VIII.

Quod Rectores Terrarum Romanae Ecclesiae Confaguineos vel Affines suos ad aliquod Officium exercendum in eisdem Terris minime admittant.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Esiderantes in Terris Ecclesiae Romanae immediatae subiectis serenitatem regnare iustitiae, sublati, injuriosis oppressionibus, subditorum curam adhibemus libenter sedulam, ut nequaquam ab illis inferantur gravamina subditis, per quos debet ipsius iustitiae cultus coli.

S. 1. Sane ad nostri Apostolatus auditum

I X.

Quod Rectores & Thesaurarii Terrarum Romanae Ecclesiae stipendia, quae dantur pro militia, familiaribus suis assignare non possint.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Habet fide dignorum relatio nostris auribus saepius inculcata, quod licet per Ecclesiam Romanam Rectoribus & Thesaurariis deputatis in Terris, eidem Ecclesiae immediatae subiectis, de stipendiis pro se suisque Familiaribus provideatur decenter; aliqui tamen Rectorum & Thesaurariorum ipsorum huiusmodi stipendiis non contenti, sed avaritiae caecitate percussi, dum Rectoribus ipsis conceditur, ut tenere possint ad stipendia Ecclesiae, aut Terrarum praedictarum certum stipendiarium, equitum, & peditum numerum; vel ipsi etiam pro coercendis rebellibus, & faciendis executionibus iustitiae, cum necessitas imminet, per se tenent familiares suos etiam ignaros & ineptos ad actus exercendos huiusmodi ad dicta stipendia, ut ea lucrarentur & ditentur ex eis, & non ut in actibus praedictis serviant; cum nec servire possent aut scirent, prout consueverunt interdum.

S. 1. Nos igitur talia, quae cedunt in nostra detrimentum Camerae, damnunumque vertunt utilitatis publicae, tolerare de cetero minime intendentes, omnibus & singulis Rectoribus, & Thesaurariis Terrarum ipsarum praesentibus & posteris, mandamus & inhibemus expresse, ne ipsorum aliquis quemquam familiarem suum Clericum vel laicum, cuiuscumque conditionis existat, ad stipendia ipsa, quae dantur pro tenenda, ut praefertur, gente armigera, ponere, vel ea cuiquam Familiari praedicto solvere, fraude quacumque cessante, absque nostra licentia vel mandato specia praesumat. Quicumque vero ponendo vel solvendo contrarium fecerit, duplum nihilominus ipsius, quod sic solum extiterit, nostrae praedictae Camerae restituere praeter poenam infligendam sibi pro transgressione huiusmodi teneatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere &c. Datum apud Pontem Sorgiae Avenionen. Diecesis sexto Idus Julii, Pontificatus nostri anno II.

Causa serenitatis Constitutionis.

Rectores Civitatum Mariscallos & confaguineos affines non possunt.

Quoto tempore debeat horum officium & de syndicatione de eis fieri.

Dat. die 10. Julii 1336. An. II.

Ex eodem Regest.

Causa danda legit.

Constitutio de qua in Rubrica.

Poenae contra inobedientes.

Dat. die 10. Julii 1336. An. II.

X.

Quod Beneficia vacatura per adeptionem aliorum Apostolica auctoritate collatorum reservata censeantur, etiamsi ante assecutionem dictorum Beneficiorum ex causa permutationis, vel simplicis resignationis vacaverint.

Ex eodem Re- Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Beneficia nonnulla Sedi Apostolicæ se reservasse ait.

Udum nos, ex certis causis rationabilibus inducitur, Prioratus, Decanatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, ceteraque Beneficia Ecclesiastica secularia & Regularia, cum cura vel sine cura, quocumque vel qualiacumque forent, etiamsi ad illa Personæ consueverint, seu deberent per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratum, Dignitatum, Personatum, Officiorum, Canonicatum, Præbendarum, & Ecclesiasticorum Beneficiorum aliorum, per Nos, seu auctoritate literarum nostrarum tunc collatorum, & conferendorum in posterum, tunc vacantia, & inantea vacatura, ordinationi, dispositioni, & provisioni nostræ auctoritate apostolica duximus reservanda; decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super præmissis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Quæ dum conferrentur provis de alio beneficio, hi primus beneficium in Ordinarium locantibus dimittebant.

Verum, quia, sicut accepimus, frequenter hætenus contingit, quod cum alicui Ecclesiasticum beneficium obtinenti de alio beneficio Ecclesiastico vacante vel vacaturo providebamus seu mandabamus per nostras literas provideri, dictum Beneficium, quod obtinebat, pro eo, quod se non compatiebatur cum alio, de quo sibi providebamus seu provideri mandabamus, ut præfertur; seu alias ex voluntate seu dispositione nostra tenebatur dimittere, quamprimum dictum secundum Beneficium existeret pacifice assecutus, idem obtinens ante assecutionem hujusmodi dictum primum Beneficium simpliciter, vel ex causa permutationis seu alias, in manibus Ordinarium resignabat; & sic per consequens ipsum primum Beneficium ante dictam assecutionem ejusdem secundi Beneficii per Ordinarium vel alium, ad quem alias spectabat ejus collatio, contingebat conferri; propter quod dicta reservatio seu voluntas in eo casu suum sortiri nequebat effectum.

Hujusmodi itaque Beneficia, quæ per assecutionem Beneficiorum a Sede Apost. vacare contingunt, eidem Sedi reservantur.

Nos volentes circa præmissa adhibere, sicut expedit, remedium opportunum, omnes Prioratus, Decanatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, ceteraque Beneficia Ecclesiastica supradicta, quæ de cætero per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratum, Dignitatum, Personatum, Officiorum, Canonicatum, Præbendarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum aliorum, per Nos, seu auctoritate nostrarum literarum, collatorum, seu conferendorum in posterum,

fuerint vacatura, sive illa per resignationem simplicem, vel ex causa permutationis ante dictam assecutionem forsitan vacare contigerit, collationi & dispositioni nostræ auctoritate prædicta specialiter reservamus: districtius inhibendo quibuslibet Ordinariis, & Diocesanis locorum, ac Personis aliis Ecclesiasticis quibuscumque, ad quos talium Beneficiorum alias collatio vel provisio, seu quævis alia dispositio pertinet, ne de illis, quæ præmissis modis, vel aliquo eorumdem vacant, vel imposterum vacabunt, illa vice disponere quoquomodo presument, ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reservationis, inhibitionis, & constitutionis infringere &c.

Datum apud Pontem Sorgie Avenionensis Diocesis Decimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno secundo.

Clausula.

Die die 22. Septembris 1336. An. II.

X I.

Ordinationes, & Statuta pro bono regimine Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Assisio.

Ex Reges.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Redemptor noster, Factor Cælorum, & universæ conditor creatura, hominem creaturarum terrestrium dignissimum ideo ad imaginem suam condidit, ut in bonis & sanctis operibus sui sit imitator auctoris; & hanc esse voluit naturalem humani generis dignitatem, ut in eo quasi in quodam speculo & divinæ imaginis forma resplendat, & sanctarum opera reluceant actionum, donans eis secundum unum & eundem spiritum diversorum dona carismatum, secundum gratias diferentes fundans Militantem Ecclesiam, eamque insigniens diversis conditionibus hominum in Christo credentium, & ordinibus in divinis obsequiis militantium personarum: quo, viventes sub Regula, ab ipsa iter recte vivendi recipiunt, & transigendi præsentis militiæ cursum per divinorum semitam mandatorum normam sanctam suscipiunt, & laudabilem disciplinam.

Proemium.

Ut igitur in Sacro Minorum Ordine Fratrum, quem ab olim gessimus & gerimus in visceribus charitatis, divinorum Officiorum Sacrificium, debitumque silentium, ciborum abstinentia, sanctimonia habitus observentur; studium quoque Sacre Paginæ in dicto Ordine vigeat, & personis ejusdem Ordinis ad hoc aptis insistendi disciplinis scholasticis commoditas ministretur; ac charitas Dei, ex qua virtutes ceteræ generantur, regnet & ferveat in cordibus eorumdem, ceteraque laudabiles observantia regulares sic exemplariter luceant in eisdem, ut sint in aliis recte vivendi speculum, & imitanda sanctitatis

Pontificis sedis in restituenda regulari disciplina in Ordine Minoritarum.

excm-

Quos ad id in consilio adhibuerit.

exemplum; ad laudem Dei, & spiritualem profectum omnium militantium in Ordine memorato infra scriptas ordinationes in dicto Ordine, auxiliante Deo, perpetuis futuris temporibus observandas adhibitis Nobis ad hæc quam pluribus viris solemnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus: videlicet Venerabilibus Fratribus Petro Prænestinensi, Gaucelino Albanensi Episcopis, ac dilectis Filiis Petro tituli Sanctæ Praxedis Presbytero, ac Calhardo Sanctæ Lucie in Silice, & Bertrando Sanctæ Mariæ in Aquiro, Diaconis Cardinalibus: ac etiam Venerabilibus Fratribus nostris, Gotio Patriarcha Constantinopolitan., & Jacobo Episcopo Brixien.; ac dilectis filiis Gilberto Sancti Victoris Massiliensis, ac Guilhermo Montisilivi Carcaffonensis Diocesis Monasteriorum Abbatibus, necnon Geraldo Generali, Henrico Franciæ, Joanne Burgundiæ, Pastore Provinciæ, Petro Tusciæ, necnon Pontio Carboneli Aragoniæ, ac Petro de Saxoferrato Marchiæ Anconitan., Philippo quondam Mediolanen., Laurentio quondam Terrefloris Provinciarum Ministris, Nicolao de Nayo, Gualtero Chyaton, Guillelmo Bernardi de Podio, Antonio de Valentia, Fortanerio Vassalli Sacre Theologiæ Magistris, ac Petro de Strata Procuratore in Curia dicti Ordinis Minorum, ejusdem Ordinis Professoribus, providimus faciendas.

De divinis Officiis.

In primis circa agendum divinum. Officium in eodem Ordine auctoritate Apostolica ordinamus, quod ante Missarum & Horarum principia Fratres dicti Ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad Chorum conveniant, preparaturi Domino cordata, ibique sine discursu, murmure, rifu, & absque vagis & vanis aspectibus, sub silentio in pace & cum debita gravitate permaneant contenti & orent, & usque in finem unanimiter perseverent.

Et psallendi modo.

Quia vero cantus Ecclesiasticus divinæ laudis sacrificium fructusque laborum, canentium non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum ædificatio esse debent, eosdem Fratres hortamur in Domino, ut Divinas Laudes integre attente honeste ac religiose persolvant; gestus leves, & cantus dissolutos; seu fractos omnino declinent; tractum psallant debito more, incepta quæ simul cantanda fuerint, simul continuent, simul pauperent.

Obiectis iis, qui contra tendant, puniend.

Ordinamus etiam, quod in singulis Ordinis prædicti Conventibus hora sexta, sicut alia hora, cum nota dicatur. Custodes autem & Guardiani eorumque Vicarii diligenter intendant, quod præscriptus modus conveniendi ad Chorum, & dicendi Divinum Officium jugiter observetur. Si quem autem in aliquo præmissorum culpabilem compererint, debite poniant secundum delicti exigentiam, sive culpæ. Minister vero Generalis, seu Provincialis ipsos Custodes & Guardianos eorumque Vicarios, quos super ordinationis hujusmodi observantia deprehenderit notorie negligentes, a suis officiis tanquam inutiles debeat amovere: formam tamen circa hujusmodi annotationem descriptam inferius, observata; nulli. Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

luisque Frater eximatur a Choro, sed omnes Fratres teneantur ire ad omnes Horas Canonicas, & ad Missas, exceptis ægrotantibus actu, & multum antiquis, super quibus Guardianus habeat arbitrari, & Magistris, & Lectoribus, ac Bachalariis in generalibus studiis constitutis, & legentibus in aliis studiis, dum actu suas continuant lectiones; exceptis etiam Studentibus dum in Lectionibus Theologiæ, vel Disputationibus ordinariis fuerint occupati. Porro illi de prædictis, qui ne ad Matutinum in Oratorio cum aliis conveniant, sunt excepti, hora congrua simul ad Capitulum vel Locum alium idoneum conveniant, & ibidem, simul Officium Matutinale persolvant. Ad hoc autem astringi nolumus graviter ægrotantes vel Lectores actu legentes, qui commode nequeunt interesse,

Qui eximi a Choro possint.

De Silentio.

Præterea, quia pax est opus justitiæ, & silentium cultus, ejus ne devotionis fervor per inquietudinem multiloquii extinguatur; Statuimus & etiam ordinamus, quod silentium a Completorio usque ad primam pulsationem horæ primæ diei sequentis ab omnibus observetur, exceptis hospitibus de novo venientibus, & eis ministrantibus vel assistentibus usque ad horam congruam de Guardiani sui licentia, vel mandato. Sileatur autem in Claustro, in Choro, & in Ecclesia a principio Chori & supra; & in Dormitorio, in quo sunt cellæ seu studia omni tempore; In Dormitorio vero a studiis separato temporibus, quibus Conventus Fratrum ibi dormit, & in Refectorio tam in prima quam in secunda Mensa, ac etiam extra Refectorium, ubi erit multitudo Fratrum simul comedentium; & hoc non solum a residentibus, sed a forensibus observetur. In Locis autem, ubi Fratres non habent officinas distinctas ab immediatis Superioribus eorum Locorum loca distincta & commoda deputentur, ubi Fratres sileant, & ubi possint loqui aliis dum oportet. Similiter hora dormitionis a Festo Resurrectionis Domini usque ad Festum Exaltationis Sanctæ Crucis qualibet die post secundam mensam, immediate pulsatur Campanella Refectorii, & ex tunc sileatur usque ad Nonam. In diebus vero Jejuniorum simili modo a pulsata Campanella post mensam secundam, silentium observetur, donec fiat signum ad surgendum a somno secundum spatium a Guardiano provide assignandum. Liceat tamen Fratribus, quod necesse est, loqui breviter & submisse. Si quis autem silentium fregerit debeat in Capitulo dicere culpam suam, causam prout se in hoc deliquisse meminerit exprimendo, cui a Guardiano abstinentia a pulmento vel a vino, vel ab utriusque, vel alia poenitentia secundum culpæ exigentiam imponatur.

De salubri Novitiorum, & Juvenum informatione.

Circa salubrem quoque Novitiorum & Ju-

& Juvenum dicti Ordinis informationem statim & mandamus inviolabiliter observandum, quod quilibet Provincialis Minister, vel ejus Locumtenens annuatim in tabuladiffinitionis sui Provincialis Capituli de Diffinitorum consilio certos Conventus in sua Provincia deputet, in quibus omnes Novitii ejusdem Provinciae debeant commorari; & in quolibet illorum Conventuum Magistrum Novitiorum assignet unum in eadem Religione probatum maturum devotum providum & discretum, qui hujusmodi Novitiorum continuam curam gerat, viam Dei ipsos doceat saepe & pure eos conseri faciat, & ad servandam cordis & corporis puritatem informet, mores & observantias ejusdem Religionis eis verbo & exemplo demonstrat. Hujusmodi autem novitatus sive probationis tempore studio scholastico non intendant, sed divinum ad discendum Officium studio devotionis & orationis vigilantiter insistant, nec Ordines Sacros suscipiant, nec Confessiones audiant, si fuerint Sacerdotes, nec portam Conventus exeant, nisi causa translationis, vel generalis processionis, vel emergentis necessitatis, vel alia justa seu rationabili, quae per Fratres Confessores & Praedicatores Conventus, ubi hujusmodi Novitii fuerint, extiterit iudicata, nec Literas mittant, nec recipiant sine sui Magistri scientia & licentia speciali, nec loquantur cum aliqua seculari persona, nisi suo praesente Magistro, aut alio per suum Magistrum vel Guardianum ad hoc specialiter deputato. Caveant autem Guardiani, & ipsorum Novitiorum Magistri, ac Fratres alii, ne quem constitutum infra probationis annum aliquatenus impedire praesumant, quominus ad aliam Religionem, quam maluerit transcat, vel omnino ad seculum redeat, sicut de sua processione voluntate. Professis quoque Juvenibus, qui aetatis suae annum vigesimum quintum nondum attigerint, simili modo per ipsum Ministrum alius Magister idoneus deputetur, qui super eorum vita continue & diligenter invigilet, eos moribus instruat, ab insolentia compescat & retrahat, & ad regularem observantiam instanter inducat. Si qui vero instructionem dicti Magistri non reverenter, & cum effectu receperint, ipse Magister defectus & excessus eorum, ac contumaciam Custodi suo vel Guardiani denunciet, qui eos tali disciplinae subiciat, quod ceteris transeat in exemplum. Si qui vero hujusmodi Magistrorum post Provinciale Capitulum morte vel longa aegritudine, vel alia justa & rationabili causa fuerint propediti, Minister eorum cum discretorum Fratrum consilio de aliis idoneis debeat celeriter providere. Tempore autem regiminis seu cure hujusmodi Magisterii Magistri praedicti non mittantur extra Conventus seu loca, in quibus ad praedicta fuerint deputati, aut alias sic occupentur, quominus utiliter & salubriter cure intendere valeant praelibatae. Si autem Fratres ad hujusmodi Magisterium deputati ipsum pertinaciter suscipere recusaverint, puniantur poena, qua Fratres inobedientes debent secundum ipsius Ordinis Instituta puniri.

## De abstinentia.

§. 7. Circa abstinentiam vero provide duximus ordinandum, quod in generali & provincialibus Capitulis, & etiam ubique in Refectoriis dicti Ordinis absteatur ab usu carnis, quodque, ubi commode fieri poterit, in Conventu quolibet Ordinis una magna pars ipsius Conventus juxta dispositionem Guardiani ac Consiliariorum Conventus omni die in Refectorio comedat & in Domo, in qua alia pars Conventus juxta dispositionem dicti Guardiani comederit, sicut in Refectorio ab omnibus silentium observetur, & in Mensa lectio habeatur. In Festivitatibus autem, Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis Dominice, Pentecostes, Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis Virginis gloriosae, & Sancti Francisci, Sancti Antonii, & Beati Ludovici Episcopi totus Conventus in Refectorio comedat. Rursus etiam ordinamus, quod Ministri, Custodes, & Guardiani, ac eorum Vicarii sint cum Fratribus in Conventu, in Ecclesia, & in Mensa, & in cibis, vestibus, & lectis quam diu sani & fortes fuerint eidem Fratribus conformerent; ubi tamen infirmitas vel debilitas aut labor itineris seu administrationis aliud suaserit faciendum, possint se a communi vita Conventus, infirmi quidem & debiles quamdiu infirmitas vel debilitas duraverit, alii vero, itineris seu administrationis laboribus fatigati diebus aliquibus separate, & in aliquo congruo & honesto loco refici moderate a superfluis & excessivis expensis penitus praecavendo. Ordinamus insuper quod Ministri & Custodes sollicitam curam gerant, quod de elemosynis, & rebus aliis, quae obveniant Conventibus, per Guardianos provideatur moderate juxta elemosynarum & obventionum hujusmodi quantitatem Fratribus in communi; ne Fratres ipsi propter defectum communis & sufficientis victus seorsim comedere, & particulariter ac inordinate vite necessaria sibi procurare cogantur. Dicti autem Guardiani diligenter caveant, ne sine manifesta & rationabili causa dent Fratribus extra Communitatem licentiam comedendi.

## De qualitate Habitus &amp; Vestium

§. 8. Sane cum felicis recordationis Joannes Papa Vigessimus secundus Praedecessor noster intendens quaedam dubia circa vilitatem formam, & qualitatem vestium, & habituum Fratrum exorta plenius declarare, ac temeritatem & praesumptionem quorundam Fratrum, qui Praelatis suis inobedientes in iis existebant, & habitus singulares & deformes contra communem ordinationem & observantiam Ordinis & Praelatorum suorum iudicium verebantur assumere, & deferre, provide corrigere & cassare inter alias quadam sua Constitutione, quae incipit *Quorundam exigit* adiecit clausulam, quae sequitur in haec verba: Nosque praefatorum Ministrorum Custodum & Guardianorum iudicio praesentium auctoritate committimus determinare, videlicet arbitrari atque

atque precipere, ejus longitudinis, latitudinis, & grossitiei, & subtilitatis, cujusve formae sive figere, atque similibus accidentium esse debeant tam Habitus, quam etiam ipsorum Caputia ac interiores Tunice, quibus Fratres dicti Minorum Ordinis induuntur; ac insuper ejus quantaeque vilitatis indui eos ipsis vestimentis oporteat, & an in vestimentis hujusmodi secundum regulam & declarationes Praedecessorum nostrorum, & Ordinis constitutiones, reluceat asperitas vilitas & paupertas; utrumve quantum ad colorem pretium vilitatem, paupertatem quoque, ac cetera accidentia supra dicta Fratres vestimentis inducantur, ut debent; super quibus eorum Ministrorum, Custodum, & Guardianorum conscientias oneramus, districte praecipiendo mandantes, quatenus in praedictis, & his similibus eorum arbitrium & determinationem Generalis quidem in totius, Provincialium vero in Primitiarum, Ministrorum, Custodum, & Guardianorum administrationibus, Custodiis, & Guardianiis, seu Conventibus Ordinis memorati commissis eidem, Fratres omnes & singuli sequi omnino, eisque parere per omnia teneantur. Ac insuper, quod illorum sequendo determinationem seu iudicium, illisque parendo, non sint nec dici possint, nec debeant, nec ipsi se ipsos autem suae Regulae vel Constitutionis sui Ordinis transgressores. Verum quia nondum, ut audivimus, cessat temeritas seu praesumptio aliquorum Fratrum ejusdem Ordinis, Habitum & Vestes singulares & deformes portantium, ut praefertur, volentes eosdem per poene adjectionem a temeritate & praesumptione hujusmodi ad communem Ordinis observantiam revocare, praesentium auctoritate statuimus, quod si qui ejusdem Ordinis Professores contra arbitrium determinationem seu iudicium Ministrorum, Custodum, seu Guardianorum in Ordine ipso praesentium habitus, aut ipsorum Habituum, Caputia, seu Vestes deformes, & vestibus aliorum Fratrum communitatem Ordinis tenentium dissimiles & difformes portare, aut quod Fratres Ordinis talibus uti deformitatibus teneantur, pertinaciter asserere praesumpserint, nisi infra quindecim dierum spatium, postquam praesens nostra ordinatio ad eos pervenerit, a talibus insolentis obedenter desisterint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua per Generalem, seu Provinciales in suis Provinciis, Ministros dumtaxat, satisfactione praemissa possint absolvi. Ut autem major sit Vestium uniformitas inter Fratres & charitas amplius reluceat inter eos ordinamus, quod pannus communis secundum regulam & declarationes Praedecessorum nostrorum Ordini, & Fratribus conveniens per illos, ad quos pertinuerit procuretur tempore competentis quo communi panno Ministri, Custodes, Guardiani Lectores, Praedicatores, Confessores, Procuratores, & ceteri Fratres, omnes sine distinctione aliqua, aut specialitate tam interius quam exterius induantur. Si quis autem Frater superfluas Vestes habuerit, teneatur eas exhibere Ministro, Custodi, vel Guardiani, qui eas in tali loco reponere teneantur, ut de ipsis ne-

cessitates supervenientium Fratrum, vel aliorum indigentium subleventur. Si vero dicti Fratres neglexerint seu contempserint Vestes hujusmodi exhibere, Custodes vel Guardiani praedicti eas teneantur & possint licite eis auferre. Si autem pannus alicui Fratri detur, vel pro eo ematur, non praesumat dictus Frater ex ipso panno vestes seu habitum sibi facere fieri, nisi prius dictum pannum suo Superiori ostenderit, & obtinuerit super hoc licentiam ab eodem.

## De modo licentiandi Fratres.

§. 9. Ut autem in Fratribus dicti Ordinis debita gravitas & maturitas vigeant, & discursus arceantur; providimus salubriter ordinandum, quod nullus Frater extra locum Fratrum mittatur, vel ad eundem licentietur, nisi maturus moribus, vel cum maturo socio & honesto; nec detur alicui socius ab ipso petitus sed socius, de quo expedire videbitur Praesenti; nec extra Civitatem, Villam, Castrum vel Oppidum, in quo Fratres morantur ad alia loca Fratrum, ituri licentietur sine literis testimonialibus obedientiam vel licentiam continentibus, in quibus secundum locorum distantiam personarum ac negotii qualitatem, certus redeundi terminus a concedente licentiam, vel dante obedientiam praefigatur; nec alicui hujusmodi licentia concedatur sine causa justa & rationabili, quam is qui dat licentiam, extimet esse veram. Cum autem alicui dabitur licentia ingrediendi Civitatem, Villam, Castrum, vel Oppidum, ubi Fratres morantur, is, qui licentiabit eum, inquirat de loco vel locis, de persona seu personis, in quibus & cum quibus Frater licentiandus habeat aliquid expedire; & praefigat sibi certam horam, infra quam redire ad locum, de quo egreditur, teneatur. Frater vero hujusmodi licentiam accipiens, caveat, ne ad alia loca declinet, nec cum personis aliis traestet, nec ultra praefixam sibi redeundi horam moram protrahat, nisi superveniens necessitatis articulus eum cogeret aliter se habere, quem ipse & socius ejus in quorum regressu suo Superiori exponere teneantur. Provinciales vero Ministri in eorum Provinciis, & Custodes in quorum Conventibus discursus inutiles fuerint frequentati, puniant discurrentes secundum hujusmodi discursuum quantitatem, & etiam qualitatem: Et si dicti Ministri hujusmodi discursus in suis Provinciis permiserint frequentari, per Visitatores id denuntietur generali Capitulo, vel generali Ministro, ut praedicti Ministri per praefatos Capitulum vel Ministrum; praesenti vero Custodes & Guardiani per Provinciales Ministros de hujusmodi negligentia debite corrigantur. Porro cum in Regula dicti Ordinis contineatur expresse, quod Fratres non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur, tenore praesentium ordinamus, quod priusquam aliquis Frater de loco aliquo dicti Ordinis profecturus exeat, de praedictis necessitate & infirmitate, Minister vel Custos, si fuerint ibidem praesentes, vel

vel in eorum absentia de discretorum consilio Guardianus vel ejus Vicarius debeat arbitrari: Si vero alicui Fratri extra loca dicti Ordinis, itinere, vel alibi constituto necessitas vel infirmitas hujusmodi evenerit, ita quod prædictorum Ministri aut Custodis Guardiani seu Vicarii præsentia commode non possit haberi, tunc frater, quem equitare contigerit, debeat statim cum venerit ad præsentiam alicujus prædictorum Superiorum suorum, causam, propter quam equitaverit, explicare, qui cum consilio discretorum causam hujusmodi examinare habeat: & si eam approbaverit, Frater hujusmodi sit immunis a pena, alioquin tam is, qui sine prædicto primo arbitrio præsumpserit equitare, quam etiam ille, cujus in casu proximo causam prædictam non judicaverint esse justam, pro die qualibet, qua hujusmodi rei transgressor extiterit, una die in pane & aqua debeat jejunare, quam poenitentiam infra quindecim dies immediate sequentes debeat inchoare, ad quam etiam peragendam per suos Superiores cogatur. Quod si Ministri vel alii Superiores prædicti in hoc fuerint reperi culpabiles, per Visitatores acrius puniantur, & si hujusmodi vitium equitandi in aliqua Provincia commune fuerit, aut communiter usitatum, per eosdem Visitatores denuntietur Capitulo Generali, per quod provideatur super hoc de remedio opportuno.

*De Muneribus non dandis.*

§. 10. Cæterum volumus & mandamus, quod Fratres dicti Ordinis munera seu donaria Ministris, seu aliis Superioribus suis, aut eorum Sociis seu Familiaribus, per se vel alium non audeant impertiri. Ipsi quoque Ministri seu Superiores alii, eorumque Socii aut Familiares, ea per se vel alium recipere non præsumant; & tam Ministri & Superiores præfati, quam Fratres alii dicti Ordinis caveant, ne personis extra suum Ordinem hujusmodi munera seu donaria dare seu offerre prorsus attentent, nisi prout eis in præmissis casibus, & eorum quolibet, est permissum per Constitutiones Ordinis, vel privilegia Sedis Apostolicæ intra vel extra Ordinem aliis elargiri. Si quis autem contra hujusmodi ordinationem dare vel recipere quicquam præsumpserit: Donator pro qualibet vice per tres dies in pane & aqua jejunet infra octo dies immediate sequentes; Recipiens vero totum quod receperit, in utilitatem seu licitos usus Fratrum Conventus seu Loci dicti Ordinis, in quo receperit, seu magis vicini, si extra Conventum vel Locum hujusmodi receperit, infra sex dies post receptionem prædictam convertere seu converti facere, vel procurare, ac nihilominus conversionem hujusmodi & causam ipsius duobus Fratribus discretis ipsius Conventus seu Loci exprimere teneatur. Quod si eum postea quod absit receptionem iterare contingat, debeat præter conversionem præfatam pro qualibet vice semel in pane & aqua jejunare infra octo dies, a receptione hujusmodi computandos.

*De Familiaribus.*

§. 11. Nullusque Frater Famulum teneat nisi cui ex officio competierit per nostra, vel ipsius Ordinis instituta, possit tamen Generalis Minister, vel Provincialis cum Magistris in Theologia dicti Ordinis, quod Famulum tenere valeant, dispensare, si hoc eis visum fuerit expedire.

*De Studiis.*

§. 12. Ad promovendum insuper Sacre Theologiæ doctrinam in Ordine memorato, statuimus, quod Fratrum, qui ordinabuntur ad legendum sententias Parisiis unus assumatur uno anno de Provincia Francia; per ipsius Provinciae provinciale Capitulum eligendus; duo autem duobus annis sequentibus de aliis partibus Ordinis, unus videlicet de Cismontanis, alius de Ultramontanis partibus per generale Capitulum eligendi. Qui autem ordinabuntur ad legendum sententias Oxonii, duo assumantur duobus annis de Provincia Angliæ per ipsius Provinciae provinciale Capitulum eligendi; tertius autem pro anno tertio assumatur de aliis partibus Ordinis per generale Capitulum vicissim tam de Cismontanis, quam de Ultramontanis partibus eligendus. Simili quoque modo illorum, qui ordinabuntur ad legendum sententias in Studio Cantabrigiæ, duo assumantur duobus annis de Provincia Angliæ, per ipsius Provinciae provinciale Capitulum eligendi; & tertius anno tertio de aliis partibus Ordinis per generale Capitulum, tam de Cismontanis quam de Ultramontanis vicissim partibus eligendus, quorum omnium & singulorum electiones, & personæ electæ, si præfentes fuerint, præsententur generali Ministro, qui si nihil habuerit contra eos, mittat ipsos cum suis obedientialibus literis ad Studia memorata certis temporibus, injuncta eis lectio-num & aliorum actuum scholasticorum opera secundum datam ipsis a Deo gratiam impleturos. Si vero contra aliquem prædictorum idem Minister aliquod grave habuerit, ex quo ejus iudicio sit merito ab hujusmodi Lectoris officio repellendus, audito quidem eo, si præfens fuerit, in ipso Capitulo generali eorum quinque de Ministris, & quinque aliis Diffinitoribus, qui tunc erunt in eodem Capitulo generali, & responsis ac defensionibus ejus conscriptis, vel si absens extiterit, vocato & per ipsum generalem Ministrum, & defensionibus suis, si quas habuerit sufficienter auditis coram decem bonis sinceris & discretis Fratribus dicti Ordinis, qui vitam & actus ejusdem electi cognoscant: Et si in casu præmissis, in quo electus & præfentatus in dicto Capitulo præfens erit, prædictorum Ministrorum & Diffinitorum, seu majoris partis numero eorumdem, sive ubi absens erit, præfatorum decem discretorum, seu majoris partis numero, eorum iudicio repellendus fuerit, repellatur, quorum dicta remaneant penes ipsum generalem Ministrum de manibus ipsorum ad consilium vocatorum conscripta, ex qui-

quibus de hujusmodi repulsione ipse generalis Minister, si necesse fuerit, possit reddere rationem: Si tamen dicti Ministri, & Diffinitores in primo casu seu in secundo præfati decem Discreti seu maior pars numero eorumdem ipsum repellendum non judicaverint, minime repellatur; sed ad exequendum hujusmodi Officium, ut prædicitur destinatur: In casu vero, in quo aliquis de electis mortuus vel repulsus, seu omnino aliter fuerit inpe-ditus, & alterius loco ejus electio faciendæ per generale Capitulum in casu, in quo ad ipsum vel per Provinciale, ubi secundum præmissa ad ipsum electio alias pertinuerit, commode expectari non posset; Generalis Minister de liberatione prius habita diligenti cum decem Fratribus dicti Ordinis probis providis & discretis super idoneitate personarum dicti Ordinis notitiam de ipsis personis habentibus, quales sint, si commode haberi possint, de regione illa, de qua fuerat mortuus vel repulsus, seu graviter impeditus, de consilio dictorum decem Fratrum, seu ubi omnes non concordarent de consilio majoris partis numero eorumdem provideat de alio idoneo illius regionis seu partis Ordinis, de qua erat mortuus seu repulsus, vel etiam impeditus, ut unicuique regioni, seu parti prædicti Ordinis honor & utilitas conservent. Si tamen hoc casu mora seu dilatio nimia periculum vel damnum afferrent, ita quod generalis Minister cito providere non possit, tunc Frater alius, qui ad legendum immediate post alium sententias extiterat assignatus, legat sententias loco & tempore mortui repulsi vel impediti, quamvis de alia regione seu Ordinis parte existat: Subsequenti tamen anno legat Frater alius de illa Ordinis parte seu regione, de qua erat præfatus mortuus repulsus vel impeditus modo præmissis, si commode fieri possit per electionem generalis Capituli in casu, in quo ad ipsum, vel Provincialis in suo casu, ut præmittitur, assumendus, & generali Ministro præfentandus, & per eum approbandus. Quod si etiam electio hujusmodi tempore congruo fieri vel expectari non possit, provideat generalis Minister præmissa deliberatione prædicta, & de consilio prædictorum, de aliquo idoneo Regionis, de qua erat, ut præmittitur, eligendus subsequenti anno prædicto: Quod si contingat per Sedem Apostolicam imposterum ordinari, quod in aliis Locis, seu Studiis fiant, seu fieri valeant, Sacre Theologiæ Magistri vel Baccalarii; illi qui de dicto Ordine deputabuntur ad legendas Sententias in eis legantur, prout supra de Parisiensi Studio est ordinatum, & ut de aliis est præmissum, præfentent generali Ministro, & in eis observentur, quæ in aliis sunt præmissa. Nullus quoque Frater dicti Ordinis ad legendum in prænomi-natis Studiis sententias assumatur, nisi prius legerit quater Libros Sententiarum cum scriptis approbatorum Doctorum in aliis Studiis, quæ in eodem Ordine dicuntur generalia, vel in Conventibus infra scriptis videlicet, Rothomagen., Remen., Meten., Brugen., Londoni., Eboracen., Northvvicen., Novicaftri, Stanfordien., Comentreien., Oxonien., Bur-

degalien., Narbonen., Massilien., Aften., Varadien., Pragen., Pisan., Erfordien., Ariminen., Tudertin., Nullus autem Baccalarius in aliquo trium prænominatorum principalium studiorum seu illorum, in quibus, ut præmissum est, continget imposterum per Sedem Apostolicam ordinari, quod fiant in eis in Theologia Magistri, incipiat ut Magister, antequam textum Bibliæ cum glossis ordinariis studuerit. In quolibet autem eorum trium vel proxime dictorum studiorum ille prior ad Magisterium præfentetur, qui prior in eisdem studiis fuerit in lectura sententiarum, eo semper salvo, quod antequam præfentetur, super ipsius vita, & sufficientia collatio habeatur per Ministrum Provinciale, vel Guardianum cum aliis Fratribus, qui solent ad illius loci, in quo assumendus erit ad Magisterium, consilia evocari, & si inventus fuerit insufficientis vel indignus, nequaquam præfentetur; sed generali Ministro casus instructus cum dictis eorum, qui fuerint in consilio nuntietur, qui cum duodecim discretis Fratribus matura deliberatione præhabita de consilio eorumdem mandet dicto Ministro vel Guardiano, quod Baccalarius, qui post prædictum immediate debeat ad Magisterium inibi promoveri, si sit idoneus; alioquin illum, de quo ipse Generalis prædicta deliberatione præmissa, de consilio prædictorum duodecim præfatis Ministro Provinciali vel Guardiano mandaverit, in tali casu debeant ad Magisterium præfentare. Cum autem hujusmodi Fratres assumpti fuerint ad Magisterium, & in Universitate sua perfece-rint cursum suum, fiant Lectores alibi in locis solemmibus, ut in lectura valeant utiliter occupari. Aliis autem Conventibus habentibus ea studia, quæ in Ordine generalia nuncupantur, generalis Minister in Capitulo Generali de idoneis Lectoribus, & Baccalariis provideat, de consilio Ministrorum & Magistrorum, qui erunt in loco dicti Capituli generalis. Ubi autem ex incidenti causa haberet alicui, vel aliquibus studiis extra generale Capitulum providere, provideat de consilio decem discretorum Fratrum, de idoneitate, sufficientia personarum notitiam habentium, & nihilominus de consilio Ministri Provincialis & Custodis, de cujus Provincia vel Custodia erit Frater ad prædicta sumendus, si commode eorum præsentiam possit habere. Generali autem & Provincialibus Ministris, ac Custodibus, Guardianis, Diffinitoribus, Magistris, & Discretis, ac Electoribus prædictis, & aliis quibuscumque, ad quos hoc pertinuerit, in virtute Sanctæ Obedientiæ districtè præcipimus, ne in eligendis vel assumendis, seu mittendis, aut deputandis, seu promovendis in Parisien., Oxonien., Cantabrigien., sive in aliis studiis prædictis Magistris, Lectoribus, seu Baccalariis, vel scholaribus, aut in provisionibus eisdem studiis faciendis, de ipsis vel aliquo, seu aliquibus prædictorum minus sufficientes proponant scienter magis sufficientibus odio gratia vel favore: prædicti vero Magistri, Lectores, & Baccalarii legentes Theologiam dictis Philosophorum non multum insistant, sed quæ theologicæ possunt tra-